

num nonagesimum tum ætatis agente, coram exhibitis Isaïæ oraculis intellexisset, se, quem Deus elegisset Exercituum Ducem, domitis Gentibus, Hebræos libertate donaturum, jussit hos continuo vinculis solvi, denuoque suscitandi Jerosolymis templi copiam fecit. Tandem post annos sex ad imperii habenas exactos, Rex totè clarus trophæis, obscuro sanè fato, sublatus à fœmina clareret desit, & vivere. Bellum ei erat cum Tomyri Massagetarum Regina, nulla necessitate susceptum, cujus initia Cyro auspicata fuère, ut qui primo è conflictu reversus victor, regium quoque Tomyris filium inter cælorum funera numerabat; verùm, ubi alio, justoque decertatum est prælio, Tomyri inferior cecidit. Occisi caput revulsum à cervicibus, vasique cruore pleno immersum ipsa Tomyris amaro hoc sarcasmo persecuta fertur: *Bibe Cyre sanguinem, quem siviisti.* Spectavit scenam hanc, & deploravit annus nati orbis ter millesimus, quingentesimus, vigesimus quartus.

## 2. *Quodnam alteri Persico Monarchæ nomen?*

Cambyfes Cyri filius homo crudelis ac barbarus. Ad hæc ebrietatis vitio ut insignis, ita & infamis. Eam perpotandi libidinem cum Prexaspes amicorum unus modestè corripuisset, rex monitoris impatiens, arrepto mox telo ejus filiolum ictu tam certo ferit, ut cor medium divideret, docerétque, se & bene potum

( talis